



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 21. Superior non sit sibi lenis, alijs rigidus. Ex Vet. Ex Novo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Non est admonitio accepta in oculis Altissimi, quæ non fit ex charitatis intimo, & in spiritu lenitatis. Blesensis ep. 24.

§. XXI.

Superior non sit sibi lenis, aliis rigidus.

Ex Veteri.

*F*aciamus hominem ut præsit piscibus maris &c. Gen. 1. 26. Cibos deim apponit Deus: dedit vobis omnem herbam &c. v. 29. In hac mensa Adam est, & leo subditus. Consulto Deus homini, & brutis, communem mensam apponit: ne putet princeps, se delicatis alendum, domesticis miserè cibatis. Velloso in Judith 6. Patren. 21.

Nigra sum, sed formosa, filia Jerusalem; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Cant. 1. 4. Cur non dicit, se formosam, ut Salomonem; sed ut pelles Salomonis? quia ille, quod filius ejus Roboam confessus, sibi blandus, & molliculus; subditis durus. 3. Reg. 12. 11. *Pater meus posuit super vos jugum grave, pater meus cecidit vos flagellis.* Et quid discipulo Salomon dicit? *magnificavi opera mea; edificavi mihi domos &c.* Mihi, mihi, mea voluptati, & commodo. Dicit ergo sponsa, se formosam, non ut Salomonem, qui sibi blandulus, subditis austerus: sed sicut pelles Salomonis; quæ foedabantur, ventis, pluviae, pulveri expositæ; ut illas, & munda fervarent, quæcunque operiebant. Hæc deformitas pulchritudo sponsæ erat: nihil enim plus ornat Superiorem, quam cum se asperitatibus, & jejuniis, deformat; ut subditis commoda afferat: cum sibi leones sunt, subditis agni. Did. Niss. fer. 3. D. 2. Quadr. §. 5.

Ponam eam in possessionem ericii. Is. 14. 23. q. d. reges, & dominos eorum, futuros similes ericiorum. Ericius obarmatus sentibus; quibus non se compungit, sed alios; sibi partem pellis interioris lenem, mollemque, usurpat. Id. ibidem. S. Gregorius per hoc animal intelligit homines, aliis truculentos; cum sibi omnia sua via, velint. Ericius enim, cum ad ipsum accesseris, carnem, quæ mollis est, in seipso recondit; aculeos tamen, & spinas, tibi soli ostendit. Sic invenies homines sibi molles, aliis asperos. Diez. Mansuetudo.

Fecit sibi metumbraculum ibi &c. Jon. 4. 5. Tam delicatus, ut umbraculo destructo, mirè doleat; sed Ninivitis immitis. S. Basilii or. 12. Dei nomine: o propheta! adversus peccatores immisericors es; quos sui poenitet, eorum te non miseret? sententiam non mutas? nunquid flosculi deplorabis exitum? & tot hominum myriadas poenæ dedam? Naxera in Jos. 1. §. 25.

Ex Novo.

Alligant onera gravia &c. Matth. 23. 4. Malus Prælati, qui sibi blandus, cæteris durus. Did. Niss. antè citatus.

Descendens stetit in loco campestri. Luc. 6. 17. Dominus ascendit in montem; ad turbas verò descendit, & eos excipit in loco campestri. Optimus Princeps; qui sibi reservat aspera, suis plana, & facilia. Sylveira hic q. 4.

Polyanth. Sacra Tom. II.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. 15. 5. Insinuat; ut, si boni præfules esse velint, vitem imitentur, quod ille faciebat Vitis planta est omnium cæterarum maximè rudis, & infortis; sed germina quàm formosa, & elegantia! Itaque se omni decore exuit; ut, quidquid ornamentum habere poterat, palmitibus suis cedat. Did. Niss. fer. 3. D. 2. Quadr. §. 5.

Dum comedit, suo pater, alieno ventri esse vitricus perhibetur. B. Petrus Dam. opusc. 1. de fuga dign. Eccl. c. 2. de pseudo prælide.

§. XXII.

Superior facilem det suis accessum.

Thronus ejus sicut Sol. Pl. 88. 38. Ideo soli collatum solium, quod omnibus patere debeat; nec difficilis esse aditus ad Imperantes; quin intrare prohibitos invitet, & ad se trahat. Oliva l. 12. Strom. §. Thronus ejus &c.

Decies milies centena milia assistebant ei. Dan. 7. 10. Stant Angeli ad januam, ut introducant, non repellant? ut suggerant, non ut tercant. Hoc amat janua Salvatoris, ut pulsatoribus semper abundet, opportunis, importunis. Propterea ipse Dominus videns januam suam à petitorum voce, & à pulsantium clamore, silere; invitat omnes, omnibus paratus tribuere pietatem: *petite, & dabitur; pulsate, & aperietur.* Luc. 11. 9. Nulla est pompa in janua; ego sum janua. S. August. l. 171. de temp.

Nudaverunt tectum. Marci 2. 4. Permittit Christus ut per tectum paralyticus ad se descendat: quò doceat, nullum debere esse impedimentum, quod accessum salutis, vel subditi, ad principem prohibeat. Sylveira in Matth. 9.

Descendens cum illis stetit in loco campestri. Luc. 6. 17. Plano, & communi, ut omnes possent accedere ad audiendam sapientiam ejus. S. Bonaventura. *Sapientia foris prædicat.* Prov. 1. 20.

Proprias oves vocat nominatim. Joan. 10. 3. Ecce tibi boni Prælati notionem, imò obligationem. Scilicet, quod non ipse primò audiat ovium balatus, & gemitus, vocantium pastorem; sed ipse primò audiatur, & primò vocet ad se singulas oves, singularumque dispiciat necessitates, & voces illarum diligentia suâ prave-
niat. Bæza t. 3. l. 15. c. 6. §. 5.

Ego sum, quem queritis. Act. 10. 21. Discant Rectores non se recondere à subditis. Sylveira hic.

§. XXIII.

Superior visitet suos; sit præsens, vigilet, attendat.

Num. 1.

Figura, & Symbola.

Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora; & renuntia mihi, quid agatur. Gen. 37. 14. Hebr: *vide pacem fratrum tuorum.* Oleaster hic: tenentur parentes explorare filiorum gesta; quemadmodum & Superiores subditorum opera; rectè sint, an perversa? ut malè gesta possint in eis arguere; præcipuè pacem; sine quâ corpus Reipublicæ non potest consistere.

Bbb bb

Possist